



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Pantaleon M. 27. Iulij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

S. PANTALEON M. 27. Iulij.

PANTALEON sive PANTELEEMON (namque hoc illi nomen morituro cælum fecit) adolescens medicinæ operam dedit. Sed compendium illi ad hanc artem rectius Hermolaus in Christi scholâ ostendit, quando in huius nomine latere panaceam edocuit. Experimentum à puero sumptum, quem vipera morfu enecarat. Hunc uno Christi nomine vitæ reddidit, & succedaneam victimam morti viperam dedit. Eâdem medicinâ noctem oculis excæcati pepulit, gemino miraculo, nam hoc tenebras etiam parentis animo discussit, fidemque fecit aspicere. Verùm his rectè videntibus, oculi ipsis Medicis cœperunt dolere, cum Æsculapium suum ad Christianos transisse viderent. Qui invidiâ excæcatus etiam Imp. Maximianus in medicum cœpit furere, cum paralyti afflictum in pedes erexisset, quem in opem à sacrificulis vocatus Phœbus destituerat. Ferro igitur & ignibus sævit, liquato oleo perfundit, ex equuleo suspendit, undis mergit, rotæ innectit, nequaquam ingeniosus in pœnas; cum medici vulneribus medicinam Christus semper faceret, & diras omnes carnificum turbas averteret. Spiculator quoque ad primum ictum ferrum suum ceram esse, & collum martyris marmor deprehendit. Refectum denique caput lactis liquorem, & oleaster, ad quem vinctus Martyr steterat, subitas frondes dare visus est. Voluit Herculem suum coronare. *Ex Metaphr.*

In huius vitæ miseriam intraſti lugens; dies tuos in dolore & arumnâ pertransiſti; cum lætæ & labore hinc exiturus es. Intelligas ergo in quantum

fit ingressus tuus flebilis, progressus tuus debilis, & regressus horribilis. Auctor Spec. Peccat. tom. 9. S. August.

SEPTEM DORMIENTES.

27. Iulij.

Ingens hi Sancti Ecclesiae negotium etiam **DORMIENTES** confecerunt. VII. erant omnes germani fratres, quos Decius à patre fide minimè paternâ proditos obstructo spelæo conclusit. Iverant sæcula jam duo & ampliùs, quando hæresis ab orco surrexit, quæ surrecturos olim à tumulo mortuos negavit. Somnium hoc esse, VII. hi, quos **DORMIENTES** dicimus, monstrarunt, qui tum in tempore sive à morte longâ, sive somno prodierunt. Illi noctem se unam dormisse rati, Decium adhuc somniabant. Quare **MALCHVM** ex suo numero adolescentem, quem ætas & morum suavis elegantia omnibus charum fecerant, exploratorem in urbem mittunt & comœtatu præficiunt. Hic dum vigilare pro urbe Crucem videt, dum nullum tonare Iovem, sed **CHRISTVM** audit, mirari unius noctis metamorphosin, & vel adhuc dormire, vel in alterum orbem, aut certè urbem delatam se credere. Mox cum monetam antiquitate suâ incognitam protulisset, suspicionem reperti thesauri dedit. Hic ille apud Procos. ad Decium provocare, qui utique nosset adhuc, quem heri unâ cum fratribus, quod **CHRISTO** militarent, balteo spoliasset. Obstupuit ad hæc urbis Antistes, & **MALCHVM** ad montem securus è ruderibus æneas laminas, cum his rem omnem in lucem profert. Adest ipse Imp. Theodosius, quo spectante beati juvenes eodem loco longiùs jam dormituri oculos morte clauserunt:

Q 4

sed